



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

XIII. ac ii primum, qui Messiam hoc oraculo praedictum fatentur quidem,
at nondum venisse cum contendunt;

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

Luc. 4. 21.

Pſalm. 44. 3.

Matth. 7. 29.

Joh. 7. 46.

Refelluntur
Judæi:Julian. apud
Cynil. libr. 2.ac ii primū,
qui Meſſiam
hoc oraculo
prædictum
fatentur qui-
dem, ac non-
dum veniſſe
eum contem-
dunt;quos inter
præcipui ſunt,
qui Echmalotarcham
Judæi hodie-
que præſſe
affirmant:Maim in Jad
Chaz. libr. ut
cap. 4.

Lucæ discimus: Et omnes teſtimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratia quæ procedebant de ore ipſius: id quod tanto ante præmonitum fuerat in Pſalmo quadra-geſimo quarto: *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis*, id ſibi quoque volebat Matthæus, cum diceret: *Erat enim docens eos ſicut poteſtatem habens: & miniſtri Pontificum & Phariſæorum apud Johannem: Nunquam ſic locutus eſt homo ſicut hic homo*. Nihil eſt enim ad perſuadendum efficacius, nihil accommodatius ad delectandum, nativa hac oratione & ſimplici, quæ detracto omni ornatu verborum, rebus ipſis placet quas expromit, in earumque delectu laborem omnem & induſtriam conſumit.

XII. His animadverſis videant nunc Judæi, an commentitias ſuas loci hujus interpretationes noſtræ poſſint opponere, & levi ſaltem aliqua veritate comprobare. Eorum, ut dixi, de Prophetiæ hujus intellectu duplex extat opinio; alii enim Meſſiæ quidem prædictionem ei fatentur ineſſe, at Jeſum eum fuiſſe negant; alii ad Meſſiam id ullo modo pertinere inſiſtunt. Qui in priori verſantur hæreſi, non in eandem omnes conſpirant ſententiam: quidam enim Meſſiam à Jacobo promiſſum nondum veniſſe arbitrantur, venturumque exſpectant: quæ ſententia tradita extat in Thalmudico libro Sanhedrin; item in Bereſith utraque, Rabba & Ketanna; & in Echa Rabbathi; apud Onkelon quoque, & alios Paraphraſtas Chaldæos, Jonathanem & Hieroſolymitam; apud R. Davidem Kimchi in libro שרשיש, R. Abrahamum Aben Ezram, R. Salomonem Jarchi, & R. Joſephum in Ikkarim ſive Fundamentiſ fidei, qui & id Onkelon accepiſſe narrat à Schemaia & Abthalione, ſtante etiamnum Templo ſecundo: cujus rei fides penes auctorem eſto. Eadem eſt etiam perſuaſio eorum, qui Babylonicæ Captivitatis principem, quem ראש הנגלה, ſive Echmalotarcham appellant, magnis Judæorum copiis, uti quidem ſingunt, Bagdadi præfectum, de tribu Juda numquam non deligi aiunt; unde oraculi veritatem peri cenſent; quippe nondum ablatum eſſe ſceptrum de tribu Juda, nec proinde Chriſtum veniſſe. Vigeat hæc jam inter Judæos opinio Origenis temporibus, quam plerique partium harum gregales ſectati ſunt. Pluribus de ea re diſſerunt Benjamin Tudelenſis in Itinere, & R. Abraham Zachuthus in libro Juchafin. Quidam vero Meſſiam geminum hoc Jacobi oraculo promiſſum arbitrantur, Moſem alterum, alterum Meſſiam משיח עולם dictum: quem errorem ſecurus eſt R. Bechai. Adde & alios jam ſupra conſutatos à nobis, qui Judæi hic promiſſam agnoſcunt perpetuitatem regni, in Meſſia initium habituri. Qui vero nullam Meſſiæ hiſ ineſſe prædictionem contendunt, vocem משיח, quam reddit Vulgatus Interpres, *Qui mittendus eſt*, vel ad Davidem, vel ad Saulem, vel ad Jeroboamum, ipſamque adeo Silohurbem, vel ad Nabuchodonoforem referunt; quam poſtremam opinionem Julianus Apoſtata tueri videtur. Haſ ſententias, ut pote inſigniores refelliſſe contenti erimus: alias quas ſcimus in Bereſith Rabba, aliisque locis eſſe propoſitas, ſtudioſorum induſtriæ diſcutiendas relinquemus.

XIII. Ac priores quidem, qui Meſſiam hoc oraculo prædictum fatentur, at nondum veniſſe eum contendunt, nullum opinionis ſuæ afferunt argumentum; neque vero ullum aliud afferre poſſunt, præterquam quod nondum extitit quiſquam, in quem partes oraculi hujus omnes apte congruerent. Quod manifeſte falſum eſſe probavimus. Deinde cum ſuperiori Propoſitione docuerimus eum habendum eſſe Meſſiam, cui uni prophetiæ omnes Veteris Teſtamenti de Meſſia conveniunt, hinc efficitur eum in quem appoſite quadrabit prophetia hæc Jacobi, ſi modo reliqua Veteris Teſtamenti vaticinia conſentiant, Meſſiam eſſe habendum. Hanc autem Jacobi prophetiam in Jeſum convenire luculenter demonſtravimus, & reliquas præterea Veteris Teſtamenti vaticinationes huic conſentire ſuis à me probatur locis. Unde efficitur Jeſum eſſe Meſſiam, proindeque jam Meſſiam veniſſe.

XIV. Vaniſſima vero præ cæteris eorum opinio eſt, qui Echmalotarcham quemdam conſingunt, Judæorum imperium in Aſia tenentem, & tribu Juda oriundum, quem Patriarcham appellant, perpetuaque ſucceſſione dignitatem eam ad Chriſtum uſque extitutam aſſeverant. Vetus illud quidem Judæorum commentum eſt, ut intelligi poteſt ex Seder olam Zutha; jam inde ab Origenis, ut dixi, ſuperioribusque deductum temporibus; quod ita recentiores amplificaverunt Magiſtri, ut Patriarcham hunc genealogiæ ſuæ ſeriem detexere, ſcriptisque ac legitimis instrumentis approbare poſſe putent. Atque ad hanc fabulam ordiendam una ipſis cauſa videtur fuiſſe Jacobi de Juda prophetia, quam in Echmalotarcha exitum habuiſſe priſci Rabbinii exiſtimabant, ut auctor eſt Mammonides in Jad Chazacah. Opinioni huic proſtigandæ, inconſtantiam ipſius & varietatem ſatis eſt prodidiſſe: nam Benjamin Tudelenſis, qui in Itineris ſui hiſtoria Iſrahæitarum multitudinem ac potentiam fictitiis narrationibus commendare unice videtur habuiſſe propoſitum, multa de Echmalotarcha congerit, ac ipſum Bagdadi ſedem habere narrat, & imperium ejus Aſiæ finibus circum-